Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

erumpna. ut diximus uiuere cepit. Hec preterea dicendum est. quod postquam materies succidisse dicitur: cadere ferrum securis in aqua refertur. Ex duobus quippe securis constat ex ligno et ferro. unde bene per hec duo. uita hominis accipitur et ratio. per manubrium quidem uita. per ferrum autem indi tum manubrio. ratio illa designari potest. quam deus primo homini inspirauit. Ratio uero hominis illa uis anime dicitur. qua diuina et sola celestia contemplatur. Sed hoc ferrum de manubrio tunc cecidit. et adhuc quodammodo cadit. quia homo rationali suo quo ea solummodo que dei sunt meditari debet. fluxis lubricis seculi curis intendit. Huius autem miserrime calamitatis casum considerantes electi domini. tam illi qui ante legem et sub lege precesserunt. quam hi qui sub gratia extiterunt. et adhuc existunt. quemadmodum mox sequentis denuntiat ordo narrationis. auctorem uite amara cordis penitudine. gemebunda cordis uoce. his interpellant VERBIS.

Exclamauitque ille et ait. Heu heu heu domine mi. et hoc ipsum mutuo acceperam.

Triniam huius clamoris distinctionem. trifarium accipere possumus electorum ordinem. multitudinem uidelicet eorum qui ante legem et sub lege deo placuerunt. ac eorum qui sub gratia domino opitulante saluati ac saluandi sunt. Iste ergo unus. id est unita hec multitudo clamabat aduersum heliseum. heu. heu heu. inquit domine mi. de transgressione cogitationum. uerborum et operum. Clamabat inquam pre dolore cordis. uidens et considerans miserabilem casum tante deiectionis. quia totum pene genus humanum. rationalem sensum. quem ad celestia meditanda a deo creatore suo accepit. dissolute uiuendo. aquis illecebrose concupiscentie immersit. Et hoc ipsum inquit mutuo acceperam. Ac si in profunda humilitate. ualida cordis contritione. electi quilibet deplorent rationalem sensum. ita genus amisisse humanum. totaque intentione humani cordis pronam esse ad malum. Et est quasi dicerent. Uitam et sensum. mutuo a domino creatore nostro accepimus. non ut hec ad labentis seculi delectamenta uteremur. sed ut eternis inhiando. deo uiuenti anima et corpore seruiamus. Hec ergo suspiria. hec intimi doloris lamenta. ultra ferre non sustinens uerus heliseus. uera in qua totius humani generis salus. sed benignissime clamoribus eorum aurem accomodans. clementi responsione precibus eorum et lacrimis annuit. quemadmodum in sequentibus colligi satis congrue potest.

Dixit autem homo dei. Ubi cecidit.

Homo dei. homo inquam singularis. est consubstantialis filius eterni patris. cui dicere. ipsi est facere. cui subest posse cum uoluerit. cuius et uoluntati nullus est qui resistere possit. Hic ergo homo dei tunc quasi respondendo suis loqui electis cepit. cum desideriis eorum satisfaciens humanam naturam suscepit. eosque interrogat. ubi ferrum ceciderit. quando accensa lucerna euertit domum. id est quando eterna sapientia apparens in humanitate. perpendere eos fecit subtili inquisitione. a quanta dignitate. ad quantam ceciderint ignominiam. quodque liberari a tali nequaquam possent perditione. nisi passione ipsius et morte. Unde et apte mox sequitur: At ille demonstrauit ei locum.

Demonstrabant siquidem locum. locum utique mortis eterne. in quo omnis letali criminum absorpti erant uoragine. in quo etiam detinerentur perpetua dampnatione. nisi ipsi ut prediximus saluarentur passione et morte. Hunc ergo locum miserie. locum in quo dampnationis eterne. cum ita eterno saluatori suo ostendissent electi. ipse qui pati pro eis uenerat. quia animam suam ponere pro ouibus suis disposuerat. iuxta quod hic sequens mox declarat sermo. salubri eis subuenit medicamento.

Precidit ergo lignum et misit illuc. natauitque ferrum.

Lignum quod benignissimus saluator noster precidit. sancta et uenerabilis crux ipsius accipi debet. Illum [quem] primus ille parens noster: heu male superbiendo. ligni ueriti mortiferum sumpsit gustum. ne nobilis. nobilissimi conditoris creatura. mortis exicio dampnaretur in eternum. ipse dei filius